Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 795
Quelle:
Copyright:

XXXVII. *fol.* 144. p. 2. *Juliani pomerii dicta differentia dilectionis. uel quid sit sua cuique tribuere.* Initium: *De Differentia diuini amoris et dilectionis seculi plura dicenda sunt fratres mei* &c. *Pomerius* natione *Maurus*, ab *Isidoro Hisp.* dictus *Julianus*, Sec. V. vixit et scripsit in *Gallia.* Unicum ejus, quod ad nos pervenit, Opus *de Contemplatione* Libris III. distinctum, ut ut ei ab *Isidoro* c. 12. *de Script. eccl.* tributum, jam a Sec. VIII. *Prospero Aquit.* inscribebatur, dum illud *Jac. Sirmondus* in *not. ad T. II. Concil. Gall.* p. 683. germano Autori vindicaret, cui proinde *Codex* noster testis adsistit. Est enim, quod is repraesentat, *Caput* 25. et 26. *Libri III. de Vita Contemplativa*, prout perperam sub nomine *Prosperi* legitur in *Bibl. PP. Lugd.* T. VIII. p. 79. Verum sub finem ineptus *Homiliaster* noster absoluto c. 26. assuit Ideam Viri Ecclesiastici: *debet esse ecclesiasticus uir acer ingenio, suauis eloquio, sacra literatura peritus* &c. quae depromta est ex elogio, quod *Pomerius* c. 31. *Augustino* texuit, ubi cum eum a *seculari literatura* celebraret, *Noster sacram* substituit, clausulaque denuo *homiletica* subjecta finiit: *Explicit Liber Sermonum Ambrosii. Iheronimi. Augustini Feliciter.* Quod qua fronte, non modico labore nostro experti sumus.

XXXVIII. *fol.* 146. alio, majoreque charactere, absque omni titulo Fragmentum *Libri I. de Sermone Domini in Monte S. Augustini*, quod incipit ab expositione C. V. *Matth. v.* 21. *Audistis ergo inquit, quia dictum est antiquis — Quid interest inter reum judicio* &c. et pertingit usque ad illa verba *v.* 32. *ut hoc ei et uellet prouenire quod sibi. id est ut ad regnum cęlorum* ——. Extant haec edit. *Maur.* T. III. P. 2. *col.* 174—82. Lectio *Codicis* sat proba; imo quod legit: *et ideo sicut leuius est reum esse iudicio, quam esse reum concilio. ita leuius est reum concilio. quam reum esse gehennę ignis. et leuius esse intelligatur irasci* &c. melius videtur eo, quod offerunt *Edita.*

XXXIX. *fol.* 154. Aliud Fragmentum ἀνεπιγραφον hoc initio: —— *tinguere et colorare lanas docuit nec distinctis auro lapillis et margaritis contexta serie* &c. Posterior Pars est Opusculi *Cypriani de Habitu Virginum*, quod definit: *tantum mementote nunc* (tunc) *nostri cum incipiet in vobis uirginitas honorari.* Non possum hic praeterire lectionem, quam nec *Pearsonius* nec *Baluzius* et *Maranus* in *Codd.* suis habuisse videntur. Ponunt illi mox sub *Fragmenti* principium de apostatis Angelis: *quando ad terrena contagia devoluti a cælesti vigore recesserunt;* Noster vero: *celesti iugo recesserunt*, quod praeferet, quis-

quis